ac ſtimulis, qui altera tortura diripiunt, expoſitus crudeliſſimè
excarnificat dilaniatque. Quis a pulice nefarium
prædonem vocare prohibebit, qui Dominum quidem non pecuniâ,
non divitijs, non opibus denique, ſed quod longè charius imò
chariſſimum illi eſt, proprio, inquam, cruore, quo ſuſtentatur
per quem nutritur, cuius ope vivit, quo denique ad omnes vitæ
functiones, inepta ſitem, maximè uti convenit, privat ac
iniquiſſimè ſpoliat. Felicem igitur te ô Aſelle,
imò terque quaterque beatum prædico, qui tam immanem tyran-
num, ita crudelem carnificem, minimè perferre cogeris, ſolus
inter animantia, hoc privilegio gaudes, ut à pulicibus
et pediculis ſemper immunisque exiſtas. Verum ut ipſa
tritum illud finis coronet opus; quid ni igitur in fine, pulicis
videlicet morte, aliquid laude dignum inveniam. Et certè aliquid
invenio, dixi n. ſupra oratione ſuaviſſimâ illum ac maximè
plauſibili occumbere morte, dum non lentis, non acutis
confunditur doloribus, non veſicæ, non renum, non podagræ morbos
experitur, non denique laborat ventriculi torſionibus; tum verò
cum occumbit, quodam lætitiæ ~~foro~~ ſigno, videlicet ſub pol-
lice edito quodam plauſibili ſono extinguitur, egregia ne ſterile
pulicis hæc laus eſſe debet, tribuo itaque hanc illi laudem
ſi tamen laus dicenda eſt, applaudo illi tam felicem plauſibilem
eiusque mortem quam et fures et latrones ſub vita vel rota
aut gladij ſubire coguntur.